

Q. D. B. V.

45

DISCURSUS POLITICOS  
DE

EXISTIMATIONE  
IMPERANTIUM,

*Quorum occasione aliqua GVICCIAR-*  
*DINI & GRAMONDI loca illustrantur,*

In Illustri ad Salam Augustéo,

PRÆSIDE

M. CHRISTIANO WEISIO,

Politices Prof. Publ.

*ad d. 2. Octobr. M D C L X X V.*

P. P.

Johannes von Som / Hamburgensis.

H. L. Q. C.



WEISSENFELSÆ,

LITERIS JOHANNIS BRUHLÆI.

*August. Typogr.*



DISCERNERE OPTICIS  
MUNDI PARS PRIMA  
MUNDI PARS PRIMA

M. CHRISTOPH. WELSH



LITTELL'S JOHANNIS BRUNNEN  
M. 1777



V I R O

*Nobiliss. Experientiss. atq; Ampliss.*

DN. MICHAELI KIRSTENIO,  
Medicinæ Doctori ejusdemqve apud  
Hamburgenses Practico felicissimo, nec non Illustris  
ibidem Gymnasii Rectori & Professori  
meritissimo,

*Patrono, Fautori ac Præceptori honoratissimo,  
Sal. & observ.*

Dic.

Johann von Som.

\* \* \*

**C***Vi potius debebatur primum hoc absentia meæ  
specimen, quàm Tibi, cui informationem,  
h. e. ipsam vitam debeo? Nimirum reddimus, quod  
possumus, si turpe est nihil reddere, impossibile omnia  
exsolvere. Et certè in hoc unico mihi quidem excusa-  
ri videtur intempestivum alioquin dedicandi cacoe-  
thes, si Præceptoribus offeratur charta diligentia non  
omissæ testis. Horum enim interest, dexteritatem  
semel impensam non perire. Ego quantum laborave-  
rim, non solum in deprædicando Tuo nomine, sed magis  
etiam in conservandis ingenii bonis, quorum Te Au-  
ctorem*



Etorem & Parentem profiteor, is noverit optimè, qui  
Dissertationis hujus suscepit præsidium. Quamobrem  
accipe benignis manibus, quod sive ob splendidum ti-  
tulum, sive ob pronam complacendi voluntatem omni-  
nò repudiandum non est: si vel maximè scribentis ca-  
lamus conatui non responderit. Et habet hoc Præ-  
ceptorum benevolentia, ut fœtum semel agnitum,  
quamlibet imperfectum, Parentum instar non abjici-  
ant. Omnia mihi polliceor. Omnia vicissim appre-  
cor, velit DEUS restauratum denuòq; illustratum Ve-  
strum Gymnasium, perpetuo flore irruptaq; celebra-  
te ad seros usq; Posterios propagare, fortunamq; indul-  
gere Patronis gloriosam, Docentibus jucundam, Di-  
scipulis proficuum. Imprimis ut Tibi Tuisq; tantum  
affluat prosperitatis, quantum humana mortalitas  
patitur iterum iterumq; opto. Vale. Scribebam  
weissenfelsæ e Museo, pridie Festum Michaelis  
Onomasmati Tuo sacrum M DC LXXV,

219  
1775  
1775





C. B. D.

I.



Volvebamus nuper Institutiones Politicas, quas auro pretiosiores *ὁ πάλιν* Bæclerus reliquit posthumas, ibidemque *lib. 4. c. 11.* de sectanda Politicis, & præcipue Imperantibus, Auctoritate ac admiratione breviter differentem, paulo prolixiore meditatione prosequeremur. Accidebat autem, ut inter historias ad hanc materiam facientes, occurrerent aliqua ex Gvicciardino & Gramondo, quibus dijudicandis vix sufficere videbatur temporis eo destinati brevitatis. Nimirum bini Cardinales binis Galliarum regibus fuerant fautores, ne, quam sibi acquisivissent existimationem, temere denuo prodigerent: & id quidem per rationes dubiorum politicorum adhuc plenissimas. Quæ igitur tunc seponebantur, ut favente occasione perpenderentur fusius, nunc publici speciminis loco libet in manus sumere. Nec deest spes, fore ut Lectores ac Censores benevoli, siue in materia, siue in conatu inveniant, quod omnino repudiandum minime videatur.

II. Gvicciardini locus est *lib. 1. p. 80. editionis Basil. 1567.* Constituerat autem Carolus VIII. Galliarum Rex Neapolim

A

subi-



subigere, grandiꝫve armorum apparatu universos Italiae oculos in se converterat, ubi in medio itinere, periculorũ magnitudine territus, militem consistere, aulicos reverti, seipsumꝫve ad sua regressurum sequi jubebat. Solus itaq; Cardinalis *JULIANUS ROVEREUS*, cujus intererat turbari Italiam, violentã oratione usus, Regi demonstrabat: factam cum Hispano pacem restitutaꝫve oppida, saltim ut à tergo redderetur securitas; ejectos & auditos Legatos, profusam pecuniam &c. quamobrem *tametsi ea expeditio plena foret periculi, necessitate ad eam persequendam impelli, propterea quod inter dedecus & triumphos nullum reliquum esset medium: alterutrum prorsus esse necessarium, ut aut omnium regum maximus, aut contemptissimus haberetur.*

III. In Gramondo hæc observavimus *Hist. Gall. lib. 18. pag. 785.* Occupata per longam obsidionem Rupeliã, in Consilio Regis Ludovici XIII. agitabatur quæstio, num Niverni dux, quem Imperator à successione Mantuana vellet excludere, armis Gallicis esset sublevandus, & num foret consultum per invias Alpium fauces media hieme dimittere exercitum? Omnes unã sententiã sivebant, *satis esse Christianissimo Regi ex victoria Rupellana; domitam sectam, prostratam rebellionem, expugnatam æmulam regum urbem: quid ultra petitur?* Solus ex adverso *RICHELIUS* Cardinalis bellum Italiae finibus inferri cupiens, variis disputabat argumentis, cur in tam turbido rerum statu Galli non possent quiescere. Atq; ut exordio maximè plausibili sermonem commendaret, *ex Rupella, inquit, captã contra spem omnium convinci apertius, nihil esse Regi supra vires: posse montium supercilia superare, posse per glacialia & nives moliri iter, qui æstuantis oceano imposuisset frenum &c.* Quasi diceret, omnes intelligere, quantum interesset Regi, ne caderet Nivernus: sed eosdem hæctenus credere viribus regiis omnia esse per-



pervia. Ac proinde, nisi hanc credulitatem, magno labore impressam, cunctis denuo vellet eximi, arma capi-  
enda vel cum præsentissimo periculo.

IV. Spinosa hinc emergit quæstio: *quantum illi, qui penes Imperium sunt, Existimationi vel acquirendæ vel retinendæ in vigilare debeant?* & an ad ejusmodi extrema sit proruendum, ubi inter gloriam & infamiam medium non sit reliquum? Sanè quid multi essent responsuri, Savedra præcinit *Symbol. 31. pag. 241. Tum etiam, inquit, cum ruina statuum præ oculis est, præstat eorum permittere interitum, quàm existimationis jacturam facere.* Ast quo magis crudè intellecta hæc verba Machiavel-  
lismum fovere possunt videri, eò diligentius in ipsi quæ-  
stionis pondus inquirendum esse duximus. Et initio quidem libet in genere pertractare, quid sit Existimatio? cur Imperantibus recommendetur? quibus tandem me-  
diis legitimè paretur ac defendatur? Hæc enim si perspe-  
xerimus, obscurum non fuerit, quantum in excessu pec-  
cent, quibus in sola ambitione universus status fundari solet.

V. Cæterum de Existimatione jam scripserunt Viri *πολιτικώτατοι*, tùm qui notas politicas Historicis asperse-  
runt, tùm quibus curæ fuit ordinatam Politices metho-  
dum sectari. Illos allegare vel nominare non vacat: Ex his palmam tenent MACHIAVELLUS, qui in suo Principe *cap. 19.* de fugiendo contemptu multa profert, satis præclara, sicut capitibus antecedentibus & postmo-  
dum *cap. 21.* aliqua dicit de concilianda existimatione per varias virtutes: LIPSIUS, qui Auctoritatem Principi re-  
commendat *Doctr. Civil. lib. 4. cap. 9.* SAVEDRA, qui Ma-  
jestatem existimatione nixam per coronatam colu-  
mnam repræsentat *Symbol. 31.* SEBAST. CÆSAR MENE-  
SES Scriptor Lusitanus, qui inter tria Status fundamen-  
ta ul-



ta ultimum appellat Existimationem. *vid. Summa Politica lib. 3.* Referri huc possent Scriptores in sola hac materia occupati, qualis est HIERON. OSORIUS de Gloria; sed hos nominasse sufficiat, ne quis conqveratur, dissimulatos à nobis Auctores, unde profecimus.

VI. Et verò, quod Existimationis naturam concernit, eam in genere sic definit, accuratus ille entium moralium perscrutator Dn. Pufendorfius *Jur. Nat. & Gent. lib. 8. cap. 1. § 1.* *Valor personarum in vita communi, secundum quem aptæ sunt aliis personis exæquari aut comparari, eisq; vel antehaberi vel postponi.* Huic autem valori opponit Honorem, qui est *significatio iudicii nostri de præstantia seu de valore alterius §. 11.* Unde etiam, comuni proverbio, Honor esse dicitur non in honorato, sed in honorante. Sed quemadmodum ad excitandam existimationem prævius quidam requiritur valor, qui fundamentum ac materiam eidem præbeat: ita formaliter existimationem non in persona, ut ita loquar, existimata, sed potius in consensu personarum existimantium collocandam esse nemo negaverit. Ut nostro quidem scopo magis conducatur definitio *Savedræ symb. 31. pag. 240.* *cui existimatio audit, tenuis Spiritus in opinione omnium accensus.* Ita enim oratorie Spiritum dicit, quod proprie dixisset consensum. Hunc verò consensum excitari ait in opinione h. e. in animo & in cogitationibus. Et inde apud Latinos *Opinio*, quæ proprie assensum cogitationis denotat, figuratè pro gloria vel honore accipitur, non aliter, ac apud Græcos *δόξα* mox opinionem, mox gloriam designat.

VII. Quia tamen de Existimatione Imperantium sermo nobis est, lubet audire Lipsium, cui Auctoritas (ita enim vocat) est *impressa Subditis & exteris opinio reverens de Principe (sive Imperantibus) ejusq; statu.* Quæ quidem definitio sic

sic



fic est clara, ut, si repetamus, quæ jam de opinione dicta sunt, nihil indigere videatur illustrationem.

VIII. Est autem causa satis prægnans, quæ Principem impellit, ut imprimendæ huic opinioni omnibus modis invigilet. Majestas enim, quæ dicitur Summa Reip. potestas, concipi quidem potest, quasi inhærens Imperanti qualitas: imo est Jus, quod in Imperante certo modo radicatum est. Interim quia potestas imperandi reciprocam postulat obligationem & voluntatem parendi; apparet, ad complementum Majestatis requiri, ut Subditi eandem agnoscant. Ut proinde si removeas venenum Monarchomachicum, tolerari possit descriptio Boxhornii *Instit. Polit. lib. 1. cap. 4. § 4. Majestas est nihil aliud, quàm sanctum, constans & immotum judicium subditorum, quo sibi omninò persuadent, illos qui præsumunt Reip. jure ac merito præesse & posse & debere. Neque obstat, quod Majestas à DEo proficiscitur. Dum enim DEus Principem constituit, non modo Jus aliquod confertur Principi, sed etiam consensus instillatur, ad minimum obligatio imponitur subditis. Sicut nemo Davidem dixerit Regem perfectum & consummatum ab unctione Samuelis 1. Sam. 16. sed potius à solenni inauguratione & acclamatione populi 2. Sam. 2.*

IX. Cum igitur Majestas sine reciproca Subditorum obligatione vix queat intelligi, jam manifestum est, quantum ad perpetuum hujus obligationis assensum faciat existimatio & veneratio, tum adversus ipsum imperantem, tum adversus Reip. formam administrandiq; modum. Nimirum, ut Euripides loquitur,

*Auctoritas, etsi maledicat, tua*

*Persuadebit. Nam ab inexistimatis proficiscens Oratio*

*Et ab existimatis, eadem haudquæquam tantundem valet.*

Ita enim hos versus græcè conceptos, & à Gellio N. A. L.

A 3

11. cap.



11. cap. 4. repetitos, interpretantur commentatores. Hinc Metius Falconius in electione Taciti Imp. vel ex hac causa malum dicebat, Principem habere puerum, *quod is famam curare non nosset, Vopisc. Tacit. cap. 6.*

X. Quod si jam prospicere velimus ad media, quibus parari solet existimatio, simul inquirendum fuerit, quibus communiter fundamentis eadem innitatur. Politici METUM nominant & ADMIRATIONEM. Metus est agnitio virium & potestatis, Admiratio est opinio Virtutis & præstantiæ. Inde qui de Autoritate indipiscenda est sollicitus, virium & virtutis rationem præ omnibus diligentissimè habeat.

XI. Equidem sunt, qui parum curant, tum de viribus tum de virtutibus, dummodo sub ficta præstantiæ larva decepti imperitiores, ad credulam redigantur opinionem. Sic enim docet Machiavellus *de Princ. cap. 18.* Non est, quod Princeps omnes virtutes habeat: necessarium verò est apparere quasi habeat. Imo ausim dicere, semper noxium esse, si Princeps illis sit præditus & illas observet; utile verò si Princeps simulet se illas possidere. Ut simulet pietatem, fidem, humanitatem, religionem, integritatem: modo animus ita compositus sit, ut, si opus, possit in contrarium mutare. Ast in his ipsis verbis latet cauda Draconis, quæ scriptum aliqui non contemnendum sic infecit, ut apud multos mirificâ labore infamiâ. Ut enim accuratum Censorem nactus est Dn. Conringium, ita negari nequit, in simulata virtute nec sperari posse constantiam, & apertâ semel fraude majorem emergere ignominiam. Merito ait Cicero *lib. 2. off.* Quod si qui simulatione & inani ostentatione, ficto non modo sermone sed etiam vultu, stabilem gloriam se consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit atq; etiam propagatur: ficta omnia tanquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.



XII. Ne à loco tam notabili discedamus sine exemplis, habemus in Anglica historia Fr. Baconis de Verulamio Richardum III. qui pag. 7. dicitur *in militari virtute probatus, atq; honoris Anglici assertor strenuus, Legislator item bonus, in levamen & solatium vulgi.* Ipse enim nobilissimus Scriptor fatetur, jam tum à prudentioribus ipsas illas virtutes habitas potius pro rebus affectatis & fictis, ut ambitioni suæ velificaret, quàm pro dotibus naturæ suæ aut iudicio insitis; postea verò ab omnibus agnitum, ea omnia nihil aliud fuisse, quàm Tyranni inescantiones & lenocinia, quibus se populo ostentaret eorumq; benevolentiam captaret &c. Sic Cominæus Bell. Neap. lib. 1. p. 749. edit Sleidan. de Ferdinando ejusq; filio Alfonso, regibus Neapolitanis argutè narrat, *habitos illos ab omnibus maximi animi atq; virtutis: sed rem ipsam postea declaravisse diversum.* Scilicet sic simulatio non potest esse diuturna.

XIII. Proinde dispiciendum, ut firmitiori fundamento superstrui queat hæc Existimatio. Et Metum quidem ille incutit, qui pecunia, militibus, com meatu, imo & fortitudine, tum propriâ, tum alienâ belli ducum, instructus est, adeoq; vires habet ad injurias non modo propulsandas, sed etiam vindicandas. Utrumq; enim ita videtur necessarium, ut Didio Juliano augur quidam non immerito objecerit, *non debere illum imperare, qui armis adversario non posset resistere.* Spartian. cap. 6. Omnia verò potentiæ instrumenta Princeps habiturus est ad manus, si ordinem in ærario, disciplinam in milite, curam in annonâ, præmia decora in belli ducibus sibi recommendata esse credat.

XIV. Quæri tamen adhuc potest, quâ mediocritate captandus sit & subditorum & exterorum metus? Certè enim sicut metus nimius degenerat in apertum odium, ita multum discedit ab existimatione, quam Principi necessaria-



cessariam esse aliquoties affirmavimus. De Subditis nimium timentibus verum est, quod mimus occinebat Maximino apud Capitolin. cap. 9.

*Cave multos, si singulos non times.*

De Subditis verò & Exteris intelligi potest mimi alterius ad Augustum versus, ap. Macrobi. Saturn. lib. 2. c. 7.

*Necesse est, multos timeat, quem multi timent.*

Et profecto licet iniquum sit ob solam vicini potentiam, conceptumq; exinde metum belli causam arripere, quod post Grotium *J. B. P. lib. 1. cap. 2. n. 17.* pulchrè confirmat Dn. Pufendorf. *J. N. G. lib. 8. c. 6. n. 5.* Quid tamen fieri soleat, & quanta inter Imperantes & suspicio sit & diffidentia, historiæ loquuntur. Gramondus lib. 4. pag. 251. concedit, *Gallos non quidem odisse gentem Austriacam, interim tolerare non posse ejus augmentum.* Et idem nobilissimus Scriptor expressè miratur, *Hispanorum sagacitatem olim laudatam nostro seculo sic evanuisse, ut paterentur in Gallia domari sectarios.* Rectè enim addit causam, *Ruinam sectæ minari rebus Hispanicis h. e. potentiam Galliæ fore calamitatem Hispaniæ. l. 9. p. 441.*

XV. Nobis videtur distingvendum inter metum tacitum & expressum. Tacitū vocamus, cū in alio deprehenditur nocendi facultas h. e. vires ad defensionem & offensionē paratæ; expressum, cū animadvertitur nocendi voluntas h. e. animus ad quamvis vindictā & sævitiā, modò justam, paratus. Jam quod mediocritatem captandi apud Subditos timoris attinet, sic breviter enunciatur.

XVI. Apud Subditos morosos & semibarbaros necesse est metum fovere expressum. Rationem nostri loco offerat Janus Waradinensium episcopus, qui ab Hungaris ad Ladislaum Bohemiæ Regem missus, ut eidem Hungaricam quoque offerret coronam, inter alia sic loquebatur: *Nemo innocentia, mansuetudine, clementia, & cæteris id*

*genus*



genus virtutibus tibi æquari potest, sed ni hanc singularem humanitatem ferrò, & armis imperiosaq; muneri severitate, profectò non modò apud Hungaros contemptus eris, sed ne inter eos quidem tutò versabere. Enimverò gens illa Scythicam adhuc redolens barbariem nondum ingentiam exuit feritatem: atq; idcirco omnia, præ viribus ac divitiis cæterisque externis bonis, humana contemnit; nec prorsus quenquam venerandum putat, cujus majestas nocere nequit, &c. Videatur integra Oratio lectu dignissima apud Ludov. Tuberonem *Comment. sui Temp. lib. 1. p. m. 38.* Paulò severior est Bonfinius *Decad. 4. lib. 9. circa fin.* qui populum ejusmodi ferreâ virgâ regendum, ex consilio Procerum circa electionem Ladislai occupatorum, repetit.

XVII. His accensentur milites, qui ob paratissimã malefaciendi facultatẽ disciplinã severissimã sunt coercendi. Quò spectat comparatio Hannibalis & Scipionis apud Machiavellum *cap. 17.* etiam Dn. Conringiò laudata. Hannibalem exercitum habuisse copiosissimum penèq; ex infinitis gentibus compositum, neq; tamen ullam unquam, aut inter se, aut in ipsum ducem fuisse subortam seditionem: & id quidem ex hac causa, quod effera ejus sævitia infinitas cæteras ejus virtutes reddidisset terribiles. Cum ex adverso Scipio vir singularissimus ab exercitu in Hispania esset desertus, quòd nimia ejusdem lenitas milites effecisset licentiores, quam disciplinæ militari conveniret. Nam si contrarium evinci posset ex historia Imperatorum, qui ferè omnes ob severitatem erga milites invenerunt exitium: facile respondetur, statum in imperio tum fuisse corruptissimum, ut nomine præessent Imperatores, re ipsa gubernaret exercitus. Quam confusionem, si quispiam alius, accuratè describit Erasmus Roterodamus in *dedicatione Svetonii ad Fridericum Sapientem, Saxonie Electorem, ejusq; Patruelem Ducem Georgium.*

XVIII. Hæc de Subditis durioribus. Quòd si verò iidem ad molliorem civilitatem accedant, spiritusq; gerant

B

rant



rant magis ad libertatem natos, rectius timorem iisdem, adhibueris tacitum, quam expressum. Hic enim quò propius ad servitutem accedit, eò magis avertit animos, non tam servitutem, quam servitutis nomen abhorrentes. Quod consilium moriens Carolus V. Filio Philippo II. de Belgis reliquisse memoratur; utinam postea melius observatum.

XIX. De timore exteris incutiendo, non immeritò sufficere creditur timor tacitus, si vicini sint civiliores, & vel ob id ipsum profundioribus suspicionibus indulgeant. Si enim, quod Franci ab omni ævo fecerunt, nocendi cupiditatem exerant, facile enascitur proverbium: Francos amicos, sed non vicinos esse habendos. Seu quod idem sonat: Eos cum sunt remotiores amandos, cum sunt propiores, communi consiliò esse repellendos. Alia ratio est vicinorum barbarorum, quos interdum expressò timore felicius fuisse territos legimus. Sicut G. Hornius *Orbe Polit. cap. I. can. II. §. 7.* observat, Turcas libentius invadere Germaniam pacatam quam discordem. Quòd videlicet in pace tam pronus in defensionem non sit apparatus, quam tempore belli, ubi boves inter se pugnantes veniente lupo queant vires conjungere.

XX. Quicquid autem sit de Timore; majorem efficaciam, præsertim apud Gentes moratiores, habet Admiratio, quæ à virtutis ac præstantiæ opinione proficiscitur. Et ista quidem præstantia vel est externa, quæ vim habet maximam in persuadendis plebejis; vel est interna, & potentiam ostendit, etiam in persuadendis Prudentioribus. Videamus singula seorsim.

XXI. Inter externa præstantiæ documenta primò locò ponitur FORMA, quæ quidem in se virtutis indicium non est, cum in Sacris Absolon 2. *Sam. 15.* in Historia Romana



mana Nero *Sveton. cap. 15.* apud Hispanos Petrus Crudelis *Savedr. symb. 3. p. 22.* apud Anglos Edvardus IV. *Verulam. p. 51.* apud alios alii occurrant, quorum pulchritudine virtus mensurari non potuit. Interim qui externis ducuntur, splendidam hanc recommendationem raro solent contemnere. Quare de Dario Justinus *lib. 1. cap. 10.* scribit, formam habuisse *Imperio dignam.* Spartianus *cap. 5.* Ælio Vero *pulchritudinem regiam* attribuit. Nec absurdè Cajus Cæsar Ariobarzanem ob insignem corporis formam Armeniis h. e. populo simpliciore præfecit. *Tacit. Annal. lib. 2. cap. 4.* Sicut de Æthiopibus Savedra refert *l. c. p. 21.* formosissimos evectos in solium regium.

XXII. Sic etiam in oculis plebejorum aliquid facit STATURA. Licet enim tot reperiantur minoris stature inter Principes exempla, ut ferè cum proceris in solennem prærogativæ contentionem videantur descendere posse; attamen in oculis vulgi, quod magnum est, augustum est. Inde Capitolinus *cap. 12.* in Pertinace laudat *staturam imperatoriam*, ac Machiavellus Castrucci staturam, quod communem excessisset, *regiam* vocare non dubitat, *in vit. pag. 28.* Imò Augustus Cæsar quòd esset corpore brevior, calceamentis usus altiusculis, ut procerior, quàm erat, videretur, *Sveton. cap. 73.* Nec aliud consilium adfuit Alexandro nomine potius quàm corpore magnò, cum ipse picturam suam juberet formari ampliore.

XXIII. Neque nihil operatur NOBILITAS, & hæreditaria per Majores præstantia. Tametsi enim plena est historia Plebejorum, qui sæpè cum applausu imò & cum salute subditorum evecti fuerint ad solium; id quod Senatus Romanus in electione Taciti Imp. ratione non absurdè probat, *diu inqviunt, privatus fuisti. Scis, quemadmodum debeas imperare, qui alios principes pertulisti.* At tamen, si plebis



judicia spectes, plerumq; obtinet, quod Oforius habet *de Nobilitate, lib. I. cap. 7* Videtur rationi consentaneum, ut familia maximè illustres habeantur, quæ plurimis annis ita se gesserunt, ut decoris ac dignitatis possessionem virtute perpetua tuerentur. Inde fit, ut generis novitatem contemni plerumq; videamus. Atq; hæc erat causa, ut Maximinus è bubulco factus Imperator, conscientiam degeneris animi nimium vexatus, ignobilitatis tegendæ causa omnes conscios generis sui interficeret. *Capitolin. cap. 9.* De Matthia autem Hungariæ Rege diligenter notat Tubero *lib. I. p. 5.* novitatem generis ei tum ab exteris tum à subditis fuisse objectum, ac sæpius ideò variarum insidiarum subiisse periculum.

XXIV. Et cur Nobilitati nolimus singulare momentum adscribere? cum etiam assumpta Principum laudatiorum nomina mirificè soleant ad splendoris augmentum contribuere. Codomannus Persarum Rex, ne quid Majestati deesset, Darii nomine honoratus est, *Justin. lib. 10. cap. 3.* Post Antoninos, Pium & Marcum, tantum desiderium Antonini nominis fuit, ut nisi populus & milites id audirent, Imperatorium non putarent, *Capitolin. in Macrin. cap. 3.* Memorabile exemplum in historia Scotica legitur, Johannem Regem 1390. à Statibus receptum, aliò nomine vocatum Robertum III: ideò quòd duo Roberti prædecessores singularem in pace & bello habuissent virtutem ac felicitatem. *Vid. Rittershus. Exeges. Genealog. p. 70.*

XXV. Cæterum, quæ hæcenus enumerata sunt, potius in Fortunæ quàm in Prudentiæ manu collocantur, ac proinde ad eum locum pertinent, quem infra sumus aggressuri de viribus fortunæ in conservanda autoritate. Sunt tamen alia quoque ornamenta, quibus amorem populi alliciunt Imperantes, quò referas commodè Titulos tum ordinarios, in quibus recensentur provinciæ, tum extraordinarios, ubi effulget sublimis aliqua recommendatio

datio



datio. Provincias hodie pleriq; enumerant, si excipias Regem Galliaë, quem ratio Politica prolixum esse prohibet: scilicet singulas coronæ Francicæ unitas ac imposte- rum indivulsas innuit. Extraordinarios & hodie vide- mus apud Reges Christianissimos, Catholicos, Defenso- res fidei &c. & olim hodieq; apud Barbaros magis luxu- riare deprehendimus. Darius audiebat, *Consanguineus De- orum*; Cleopetra, *Regina Reginarum*; Sapor Perfa, *Frater Side- rum*, quæ exempla collegit Weberus *in art. discurrendi font. 91. ex. 4.* Stulta verò & planè tyrannica erat Saladini an. 1430. ad Regem Polonicum epistola, in qua ipse vocabatur, *Probst des Irdischen Paradies/ Bogt der Höllen/ gewaltig von Sonnen Aufgang bis in Niedergang/ gewaltiger König aller Könige/ ic. obrister Rath und Fürst der Götter/ ic.* Vid. *Limnæ. F. P. lib. 6. cap. 5. n. 127.* Interim quomodocunq; aspiciantur tituli, locum invenit Cosmi Florentiæ Ducis dictærium, ab eodem Limnæo notatum *lib. 4. cap. 9. n. 76.* Apud vulgum *quidem res speciosa nomina & tituli: apud rerum verò agendarum ex- pertos, nuces cassæ.* Nisi quod tituli per accidens esse credun- tur signa possessionum & prætensionum. Vid. *Disputatio- nem de Complimentis hîc nuper habitam cap. 1. §. 9.*

XXVI. Nec omninò vanæ sunt solennes inauguratiorum ceremoniæ, quæ non alium in finem accuratissimè solent fervari, quàm ut populus vel ex hoc indicio Maje- statem sibi concipiat augustiorem. Solennitates in ele- ctione Imperatoris usitatas illi communiter explicant, qui ad Auream Bullam *tit. 26. & 27.* commentati sunt. Ast certè easdem cum extraordinario splendore, moribusq; alibi non usitatis, ideò credimus institutas, quod Germa- norum semibarbara & in licentiam adhuc prona gens, tantò apparatu crederetur vinci & occupari posse. Nunc retinetur meritò, cùm intersit Germaniæ nihil mutari.



Reliquas Inaugurationes tum historici, tum speciales descriptiones exhibent. Hic saltem lubet notare ex Gramondi libro primo, quid apud Gallos obtineat. Nam antequam suscipiatur unctio, sponsalia contrahuntur inter Regem & subditos, traditione annuli, quem Rex digito inserit, amoris monimentum, & acceptæ fidei pignus pag. 17. Ab uncto Rege ipsa in basilica clathris vimineis inclusæ aves dimittuntur quasi porrectâ Principis gratiâ etiam in animantes: aut velut plenâ subditis libertate sub bono Principe. pag. 18.

XXVII. Quin etiam cultu externô Principes libenter à reliquis distinguuntur, ad augendam splendoris opinionem. Sic olim missilia ex auro spargere, folius erat Imperatoris, *Novell. 105. cap. 2. §. 1.* Soli encausto in subscribendis literis & privilegiis utebantur. *Panciroll. rer. deperd. tit. 2.* In Gallia & Hispania præter Regem temerè quispiam non admittitur sub baldachino seu Uranisco: quam consuetudinem geminô exemplô probat Thuanus. De Cardinale Cajetano Pontificis in Galliam Legato 1590. scribit *lib. 98. p. m. 48.* Legatus ingenti pompâ in Senatum venit, & cum in suggestum Uraniscô superstructô ornatum, qui Regi soli reservatur, conscendere ambitiosè vellet, Barnabas Brissonius, qui primas in Senatu tenebat, manu pressum retinuit, & in subselliis inferioribus, ex regione, post se locô secundô sedere iussit. De Francisco Diatrifano Pontificis ad Albertum Austriacum Legato, cum ille 1599. Isabellam Claram Eugeniam novam Conjugem secum ducens solenniter ingrederetur Mediolanum, narrat *lib. 122. pag. 852.* Petenti Legato, ut sub uranisco urbem ingredi liceret, præfractè à Comite stabuli negatum, non convenire dictitante, ut Albertus, cui sicut & Infanti tantum honorem deferre à Rege vetabatur, Legatum sub uranisco incedentem ipse extra uraniscum sequeretur. Nam eum honorem nemini, ne quidem Cardinalibus à latere legatis; sed solis Regibus in Hispania gentis consuetudine tribui. Notabile etiam est, quod Prio-



Priolus recitat *Hist. Gall. lib. 11. cap. 5. Improbaturum Condao, quod lugubrem pannum ob mortem Aurelianensis rhedæ parti superiori clavus affixisset. Inolevit mos pro lege habitus, ne quis præter regibus genitos hoc sibi arroget.*

XXVIII. Sed fortassis paulò prolixiores fuimus in enumerandis populi, ut sic loquar, illecebris. Quare de Vestibus, Epulis, Palatiis, Satellitibus, Operibus publicis, Spectaculis &c. quæ hic copiosè dici possent, aliis alibi evolvenda relinquimus. Brevissimum hoc esto iudicium. Boni Principes quærendæ auctoritatis media temperant ex pietate, ne quid honoris eripiatur DEO; ex veritate, ne alter cum damno decipiatur. Pietatis defectum reperias apud Ethnicos, qui ementitis fulminibus, exstructis in honorem proprium templis, aliisque ludibriis prærogativam conabantur assequi. Christiani quàm sæpè sint occultiores non meliores, præstat tacere. Veritatem in fallendo populo lædunt, si qui alii, tyrannidis Pontificiæ assertores. Ex uno enim discet omnes, qui apud Thuanum *lib. 17. p. 35.* aspexit Caraffam. Is quippe Legati Pontificii nomine Lutetiam ingrediens crucisque formâ populum signans, loco benedictionis, quam percipere credebant miselli, hæc secretâ murmuratione ingeminabat verba: *Quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur.* Quod proverbium jam ante Caraffam quotidie in ore habuit Ægidius Viterbiensis Cardinalis, ut in literis ad illum jactitat Lucill. Philalthæus *tom. 1. Epis. 18.*

XXIX. Pergimus igitur ad ea existimationis fundamenta, quæ apud Prudentiores non minus quàm in oculis populi locum inveniunt. Quid autem præstantiæ indicium esse potest, nisi, quæ præstantiam parit, VIR-TUS? Proinde quò magis in excolenda virtute fuerit,  
occu-



occupatus Imperans, eò firmioribus gloriæ fundamen-  
tis inniti credendum est.

XXX. Cæterùm Virtutes, quæ vitam communem  
ac imprimis Imperantes exornant, tribus comprehen-  
duntur classibus. Sunt enim *Morales, Intellectuales, Politicæ*.  
*Morales* hominem faciunt meliorẽ & sanctiorẽ; *Intelle-*  
*ctuales* doctiorem; *Politicæ* circumspectiorem. Et istas  
quidem omnes acutè complectitur Gvevara *Horol. Princ.*  
*lib. I. cap. 10. p. m. 29.* *In bono Imperatore requiritur, ut sit integer vi-*  
*tæ, servantissimus æqvi, in bellis felix, eruditus scientiis, & subditis suis*  
*amabilis.* Videamus tamen de singulis separatim.

XXXI. Virtutes *Morales* à Principe requiruntur,  
quatenus est homo, ac honestatis principia in animo sen-  
tit expressa. Sunt tamen quoque rationes *politicæ*, qui-  
bus ipsæ hæ virtutes recommendentur ulterius. Nimi-  
rùm Virtus habet finem duplicem: *Primarium & secun-*  
*darium.* Finis primarius tum in gloria DEi, tum in tran-  
quillitate conscientiæ absolvitur: *Secundarius* vitam civi-  
lem spectat, seu ut clarius dicamus, Virtutes primariò di-  
riguntur ad honestatem, secundariò ad utilitatem. Id  
quod prolixò *Politicorum Opere* exposuit Adamus Con-  
zenius Jesuita, imprimis libro tertio, quem *de Virtutibus Rei-*  
*publ.* inscripsit. Nec non Henricus Farnesius, Professor  
Ticinensis, qui ex *Apophthegmatibus* Cardinalis Aldro-  
bandini tractatum *de Perfecto Principe* concinnavit. Appli-  
cemus omnia ad Imperantes.

XXXII. PIETAS quantam utilitatem habeat in Re-  
publica, sic probatur à Politicis. 1. *DEus* favet probis, deserit  
*impios.* 2. *Quò major DEi, eò major Magistratus veneratio:* cum Ma-  
*gistratus sit DEi vicarius.* 3. *Subditorum fides nititur homagio: at ju-*  
*ramenti vis à pietate venit: quippe qui DEum contemnit, facile pejeran-*  
*do ejus gratiam negligit.* Pulchram rationem addit Aristote-  
les



les Ethnicus lib. 5. Polit. cap. 11. Minus metuunt subditi aliquid iniqui sese passuros ab illo, quem Principem religiosum esse existimaverunt & curam Deorum gerere: Minus etiam illi insidiantur, ut qui creditur auxiliatores habere Deos. Inde Farnesius l. c. tit. 3. p. 59. Religionem notanter appellat, *artem & scientiam communis vitæ & universæ salutis.*

XXXIII. FORTITUDO quantum valeat, vel exinde patet, quod ea κατ' ἐξοχήν dicta semper fuit virtus. Et certè locum invenit Aldrobandini adagium: *Nemo magis Principem videtur incestò ore lacerare, quàm qui laudem ipsi tribuendo, fortitudinem involvit silentiò.* Farnes. tit. 16. cap. 13. p. 378. Inde Machiavellus cap. 21. inter præcipua parandæ existimationis media, grandem expeditionem rarumq; fortitudinis exemplum requirit. Quod autem Dn. Conringius annotat pag. 194. *bellica in vulgo plus parere opinionis & gloriæ, apud sapientes verò artes pacis, tamdiu verum est, quamdiu servari potest pax. Ubi verò belli necessitas incumbit, etiam apud Prudentes valet dictum Richelii, pacem esse optabilem, non tamen omni casu esse bellò potiozem, Gramond. lib. 13. p. 598. Unò verbò: Qui fortis est, amatur ob defensionem, timetur ob pœnam.*

XXXIV. Neque TEMPERANTIA Principem non commendat, quam Socrates meritò vocavit, *virtutem omnium saluberrimam & tam publicæ quàm privatæ societatis inter homines conciliatricem.* Farnes. tit. 22. p. 452. Nam Sobrietatem, quod attinet, lubet eloqui verbis Septalii Rat. Stat. lib. 2. cap. 18. p. 105. *Dabit Princeps operam, ut animo civium de se inducat opinionem singularis temperantiæ. Qui enim sobrii sunt ac vigilantes, haud præbent occasionem insidiis ac contemptui. Hinc Hiero Tyrannus apud Xenophontem dicere solebat, ebrietatem ac somnum non minus se quàm insidias fugere. Libido autem si nihil aliud, quàm viribus debilitatem, animo tarditatem, subditis indignationem conciliaret, jam fatis esset ad commendandam castitatem.*

C

tem.



tem. Et fanè in historiis temerè non reperias adulteros Principes vel minimum libidinis fructum reportâsse: nisi velis notare Edvardum IV. Angliæ Regem, qui, teste Cominæo *Comment. lib. 4. p. 440. seu secundum Barthium lib. 3. cap. 7.* cum rediret è fuga, Londinenses ideò pronos & benignos deprehendit, quòd mulieres, quas amaverat, suis maritis instillaverant misericordiam. Sed parva hæc sunt, si comparentur cum malis sequentibus. Sic enim Cominæus *lib. 10. p. 683.* In ætate florenti dedit intemperantiæ pœnas, & repentinò ferè morbo sublatu perit, filiis ipsius interemptis, & regni possessione ab ejus ablata stirpe.

XXXV. LIBERALITATEM Machiavellus *cap. 16.* Principi noxiam contendit: sed eo in loco potius ex intellectu plebejorum quàm ex captu Philosophorum loquitur. Nam de Prodigalitate Tiberius *Tacit. Annal. lib. 2. cap. 38.* rectè judicat: *Si ærarium ambitione exhausterimus, per scelera supplendum erit.* Ipsa verò Liberalitas quantas habeat vires, ex Sævedra discimus, *symb. 40. p. 305.* Postquam enim enumerat Principes non admodum bonos, solâ beneficiâ conservatos, etiam tyrannis, inquit, *dissimulatur & toleratur in Principe, qui largus esse didicit, præsertim si plausum vulgi obtinuerit, succurrendo necessitatibus publicis, & remunerando personas benè meritas.*

XXXVI. CLEMENTIA quam Walæus in *Compend. Ethic. p. 188.* ita cum mansuetudine conjungit, sicut Magnificentiâ affinis est Liberalitati; tantum operatur in existimatione Principis, ut Vopiscus *cap. 44.* Aurelianum inter bonos Imperatores referre dubitet, quòd clementia, dos Imperatorum prima, abfuisset. Egregiè Ambrosius *lib. 2. Offic. Id agamus, ut omni sedulitate commendemus existimationem, opinionemq; nostram: ac primum placiditate mentis & animi benignitate influamus in affectus hominum. Popularis enim & grata est*  
omni-



omninò bonitas, nihilq; quod tam facile illabatur humanis sensibus. Et paulò post: Legimus non solum in privatis, sed etiam in ipsis regibus, quantum facilitas blandæ affabilitatis profuerit, aut superbia, verborumq; obfuerit tumor, ut regna ipsa labefactaret, potestatemq; solveret. Hæc saltem requiritur cautio, ne clementia in malos, sit inclementia in bonos, sed exemplo Zenobiæ adfit, severitas tyrannorum, ubi necessitas postulat; bonorum Principum clementia, ubi pietas requirit, Trebell. Poll. XXX. Tyr. cap. 30.

XXXVII. JUSTITIAM si laudaremus, quid nisi Soli affunderemus lucem? Unicum liceat adscribere, quod Legati Gallici apud Verulamium Vit. Henr. p. 148. acclamant Henrico VII: *Debitum Justitiæ perinde est ac ipsa necessitas aut periculum status sui, aliter enim rex esse desineret.* Quod si reliquarum quoq; Virtutum fieri debeat mentio, id dicemus, quod Bœclerus *Instit. Pol. lib. 4. cap. 9.* nullam esse virtutem, quin servandis augendisq; civitatibus aliquid adjumenti afferat; Ac proinde, falli, qui putant Aristoteli propositum fuisse, hominem privatum, non civem, informare. Et hæc fuit causa, cur in illustranda Magnanimitate, quæ circa honores occupata est, omnes Virtutes in ejusdem consortium vocet, idem laudatus Bœclerus, *libell. memorial. Ethic. pag. 527.* qui discursus non ubivis obvius legi ac perpendi meretur.

XXXVIII. Cæterum quæ Virtutem in procuranda existimatione operari diximus, non ita velimus intelligi, ac si gloria intendi debeat tanquam Virtutis finis, sed tanquam medium, cujus interventu Virtus solet felicitatis aliquam partem Reip. introducere. Ut adeo hæc secura & vera sit gloria, quæ intra limites rationis ac potentiae continetur, *Savedr. Symb. 15. p. 119. h. e.* quæ ad certum ac utilem reip. finem dirigitur. Sic etiam Philiscus ad Alexandrum: *Ad gloriam incumbere: verum eâ conditione, ne sis pestis vel magnus aliquis morbus, sed pax & sanitas, Ælian. V. H. lib. 14. cap. 11.*



Qvo ipso omnis Principum ambitio angustioribus quasi frenis compescitur. Quicquid nuper 1673. in sua Panegyri jactaverit Episcopus Metensis, qui pro laude ducit, hodiernum Regem AMBITIONE superasse omnes antecessores. Vide judicium Cominæi *lib. 7. p. 576.* de Carolo Burgundo, qui bella ideò dicitur incepisse, ut, *sicut prisce heroes celebraretur.*

XXXIX. Pergimus ad Virtutes Intellectuales, quò titulò impræsentiarum & Eruditionem præcipuè, & reliquas artes solemus designare. Certè quod Eruditionem concernit, sunt populi, apud quos literarum laude parùm profeceris: sicut Parthi Vononem à Romanis sibi datum, non ob ingenii defectum, sed, ob rarum venatum, segnemq; eorum curam, incipiebant contemnerè, *Tacit. Annal. lib. 2. cap. 2.* Quin etiam ipsorum Imperantium iniqua interdum prodeunt judicia. Paulus II. Pontif. si Platinæ credimus, *in vit.* Studiosos unò nomine hæreticos appellavit, Romanos hortatus, ne filios diutius in literarum studio, versari paterentur, satis esse, si legere & scribere didicissent. Licinii Imp. symbolum fuit: *virus ac pestem esse literas. Paul Diac. lib. 10. cap. 2.*

XL. Sanè inter gentes barbaras, quibus literarum cognitio cordi non est, posse Principem sine eruditionis ac eruditorum amore ad quamvis gloriam assurgere, libenter concesserimus. Ast in moratiore civium societate, in copiosa doctiorum turba per ignorantiam velle inclarescere, nimis difficile est. Tacito Imp. à Senatu acclamabatur: *Quis melius quam eruditus imperat? Vopisc. cap. 4.* Cominæus *lib. 3. p. 388.* causam addit: *Princeps si vel ingenio valeret, vel librorum lectione quæsitam haberet aliquam prudentiam, non temerè circumveniri posset, nec sic ludificationibus aliorum esset expositus. Hoc enim certò statuendum est, DEUM non condidisse regna,*  
ut



ut gubernarentur ab hominibus ineptis & stolidis, &c. Mirum adeo non est Arrybam Epiri Regem, quò doctior esset suis majoribus, eò gratiorem fuisse subditis, *Justin. lib. 17. cap. 3.*

XLI. Sed & hìc quærenda mediocritas. Aliàs enim fieri assolet, verba sunt Sævedræ symb. 4. p. 31. ut Principes sapientiæ studiis plus æquo dediti, existimationem apud externos sibi concilient, perdant apud subditos. Non fecus ac Alfonso sapiens ob Astronomiæ laudem ab exteris Legatis honoratus, à subditis propriis desertus fuit. Separanda igitur studia inutilia à proficuis. Gallienus excellens erat Poëta, sed Trebellius Pollio cap. 11. judicat, aliud in Imperatore quæri, aliud in oratore vel poëta flagitari. De Bajazethe Turcico judicium est apud Verulamium, vit. Henr. VII. p. 151. Medius inter Monachum & Philosophum, ac potius in Alcorano aut Philosophia Averrois Arabis instructus, quam habilis ad gubernacula tractanda Imperii tam bellicosi.

XLII. Proinde qui meritam populi admirationem cupit assequi, ea sibi studia eligat, quæ ad illustrandum & promovendum Imperandi officium maximè faciunt. Hoc est post lingvarum, imprimis vicinarum cognitionem, Historias, eruditorum illam experientiam, aggrediatur, ibidemque quid Principi splendidum, quid ignominiosum, addiscat. Neque tamen omnibus sine discrimine historicis adhæreat. Sicut de Tacito judicat Lipsius, in notis ad Doctr. Civ. lib. 1. cap. 9. p. 276. eum à Consiliario magis quam à Principe tractandum. Cominæum quoque à Carolo V. in deliciis habitum vel ideò non probat, *Thuanus lib. 21. p. 402. quod multa quidem tradat prudentiæ præcepta, sed vicissim plura minus ingenui atque adeo parum regii animi exempla reperiantur.* Bonum Gramondi consilium, qui in dedicatione Historiæ ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem adhuc minorem, hic unus, inquit, instar omnium est. *Evolve hunc historiarum*



codicem, & sperne, quæcunq; antiquitas protulit: quid Græcâ, quid Romanâ historiâ opus tibi, si exemplô domesticô dignius informaris? Melius adhuc & splendidius consilium Barlæi, qui iussus præscribere methodum studiorum, quâ manuducerentur Duces Megapolitani, per omnes ferè Historicos, quos admiratur antiquitas, breviter signavit, quid præcipue è singulis excerpendum, ne copia auctorum eosdem faceret inopes. *Vid. Dissertationes de Studiis instituendis Amstelodami 1645. excusas num. XI. pag. 340.* Quid hodie tentet Delphinus Gallicus, in cuius gratiam præclarissimæ Auctorum procurantur editiones, eruditi expectant.

XLIII. Cæteram admirationem, quam propriâ industriâ nequeunt consummare, hęc consiliô perficiant, si Eruditos vel ad se alliciant, vel tamen absentes extraordinariâ munificentia prosequantur. Nemo tam est ignarus hodierni moris, quin exempla vel ultrò queat substituere. Et certè si Princeps laudem captet, hæc optima est via. Epicurus ad Idomeneum sic scribit: *Si gloria tangeris, notiores te epistolæ meæ facient, quam omnia ista, quæ colis, & propter quæ coleris.* *vid. Senec. epis. 21.* Neq; etiam ad vitandam ignominiam nihil prodest. Alexander Severus vehementer reformidabat eruditos, ne quid de se asperum scriberent, *Lamprid. c. 3.* Sic primam Mazarini calamitatem à libellis fuisse mordacibus, quos scriberet literatorum grex, innuit Priolus *lib. 2. c. 42.*

XLIV. Quid autem videtur de studiis jucundis? Adrianus Imp. Poësin, Picturam, Musicam excoluit. *Spartian. cap. 14* Alexander Severus Poësin, Musicam, Mathematicam & Picturam exercuit, *Lamprid. cap. 27.* Sic inter recentiores Carolus V. confecisse horologia, Maximilianum II. exercuisse sculptoriam, Rudolphum II. artem pingendi; Matthiam dilexisse Mathesin, utrumq;

Ferdi-



Ferdinandum, ut & Leopoldum hæcenus incubuisse rebus Muficis, notiffimum eft: Interim ficut ejusmodi relaxationes, occupatis Reip. Rectoribus non funt invidendæ, ita magis ad jucunditatem, quam ad splendorem faciunt. Certè Alexander Severus muficam diffimulavit, *Lamprid. l. c.* Nec absurda refponfio Citharædi ad Alexandrum quærentem, *num chordam minus convenientem liceret tangere? Nihil interesse futuri Regis, fed interesse futuri citharædi. Ælian. Var. Hift. lib. 3. cap. 23.* Quinimò gravis eft Philippi Regis ad filium objurgatio, apud Plutarchum in *Pericle inquit. non te pudet tam bellè citharam pulsare?* Incidit hõc locò libellus anonymus, de Fortuna Nobilium & Magnatum Gallicè confcriptus, ubi hoc fimul confilium memini legere: *Pulchrum effe Exercitiis dare operam, & Saltando, pugilando, equitando, canendo, aliisq; ornamentis impendere tempus. Cavendum tamen, ne summa in his captetur gloria. Fore enim, ut potius pro bono saltatore, pugile &c. quàm pro perfecta inter Nobiles persona haberetur.*

XLV. Restant nunc VIRTUTES POLITICÆ, quas à reliquis Virtutibus Intellectualibus ideò separavimus, quoniam illic potius cognitio, hìc verò magis ipfa Praxis attenditur: Illæ magis in habitu animi, hæ potius in actione conspiciuntur. Licet autem certò sensu improbari nequeant verba Machiavelli in *præf. Hift. Florent.* *Omnes actiones, quæ aliquid magni præ se ferunt, inter quæ imperia rerumq; gubernacula non postremas obtinent, quocunq; tandem modò tractentur, quemcunq; etiam finem spectent, non tam vituperationem, quàm gloriam ut plurimum merentur.* Tamen ex istis actionibus præcipuæ quædam sunt, unde fluit existimatio & autoritas. Non enim de omnibus Virtutibus dicere hìc animus, quas privatim jam in *Idea Statistica* sæpius & quoties leguntur historiæ, vel perpendimus, vel repetimus.

XLVI. Princeps honoris cupidus, primò *non patitur  
lædi*



*lædi Majestatem aliorum.* Quod axioma pluribus locis egregiè illustrat Verulamius *in vit. Henr.* Cùm Rebelles Scotiæ deposituri essent Jacobum III, Reges Galliæ & Angliæ iis denunciant *communem Regum causam agi, si subditi permittantur Leges Regibus suis imponere, seq̄ in ultionem ejusmodi sceleris prorsus ituros. pag. 122.* Hoc ipsum exemplum Henricus VII. objicit Carolo VIII. quòd Belgas juvisset adversus Maximilianum I. *pag. 155.* Ipse Verulamius non probat Maximilianum, quòd enormiter læsus à Carolo VIII. contumelias in eum effudisset. *Servare enim mutuò debere Reges reverentiam, etiam cum sanguis eorum maximè effervescat, pag. 160.* Inde cùm Antigonus præmium constituisset in caput Evmenis, hic credere non vult, *Antigonum sic velle vincere, ut ipse in se pessimum exemplum statueret. Justin. lib. 14. c. 1.*

XLVII. Neq; etiam *quicquam derogari patitur Auctoritati Antecessorum.* Nimirum Antecessorem pari Majestate gavifum contemnere, quid aliud est, nisi Successoribus parem contemptum imperare? Quinimò quocunqve demum modò violetur Majestas, periculosum est, Subditos intelligere eandem posse violari. Commodum mortuum Senatus judicaverat unco trahendum: sed Pertinax successor noctu jubebat eum inferri sepulchro Adriani, sciens quanto cum præjudicio Antecessor etiam malus condemnaretur. *Lamprid. cap. 17.* Alia certè ratio est, cum emergens nova circumstantia Antecessoris voluntatem jubet negligere: si enim ipse adhuc viveret, credibile esset eum à voluntate discessurum, quæ cum evidenti Reip. jactura conjungeretur. Sic Philippus IV. Rex in testamento paterno jussus Valtelinæ renunciare, eandem, testamenti parùm memor, retinebat, *Gramond. lib. 13. pag. 591.* Ipsa quæstionis merita, quatenus Successores obligentur factis antecessorum? examinat

Groti-



i deb

Grotius & quàm latè talia intelligant, accuratè probat. *J. B. P. lib. 2. cap. 14. n. II. seqq.*

XLVIII. Magis adhuc laborandum, ne *Majestatis aliqua administratio transfundatur in personas indignas.* Qvis enim nescit aquam purissimam in vasculo spurciore inquinari? Et huc spectabat pacis ille articulus, quem 1616. Fœderati in Gallia Regi extorquebant: *Legationibus ad externos Principes defungi non posse, nisi quos natales, merita, aut longa rerum experientia commenda verint. Gramond. lib. 2. p. III.* Heliogabali errores apertè describit Lampridius. *Duos aurigas in omni vita & actu participes habebat cap. 6. Libertos faciebat Præsides, Legatos, Consules, Duces, omnesq; dignitates polluebat ignobilitate hominum perditorum. cap. II. Saltator fiebat Præfectus Prætorio, auriga Præfectus vigilum. cap. 12. Imò volebat jam Lenones per singulas Urbes Præfectos Urbi facere. cap. 20.*

XLIX Nescio, an minore periculò *omnis potestas transfundatur in Unum nimis potentem?* Quod enim feliciter cessit in Gallia regnare Richelium, ipse Gramondus Richelii perpetuus adulator, tanquam extraordinarium sic judicat: *Non omni ævo nascitur phœnix, nec omni Regi datus desuper magni consilii Angelus (audi blasphemiam) interpretes DEi. lib. 1. p. 9.* Et tamen fatente Priolò *lib. 1. cap. 4.* tandem ipse Rex pertæsus prementis potentiæ, multa sævaq; de moribus & superbia Ministrissimi coactus est conqveri. In Hispania sub Philippo III. notus fuit Jacobus Sandovellius Lermæ Dux, qui, ut narrat Thuanus *lib. 125. p. m. 946.* se ex nemine, *eunctos ex se pendere volebat.* Sed publicè tandem, ignotò auctore, proposita hæc inscriptio: *Philippo III. Hispaniarum & Indiarum Regi, p. t. à servitio Ducis de Lerma.* Barclajus etiam in *Euphormione suo* hunc ipsum Ducem sub titulo *Despotik yrii* produxit. *Vid. Clavem præfixam lit. D.* Quid multis? ipse Mazarinus Monarchiâ tali apud Monarcham defunctus, in

D emor-



emortuali lecto Regem monuit, ut ipse publica rei curas susci-  
peret, nec inconsultis amicitiiis publicam invidiam concitaret. Priol. lib.  
II. cap. 10.

L. In hoc tamen observanda mediocritas, ut Princeps  
rebus ipse invigilet, nec minus aliorum audiat consilia. Qui res Im-  
perii planè negligunt, & quod de Regibus Anglicis è Sa-  
xonibus Fabricius refert, Orig. Sax. lib. 1. p. 40. aliorum utuntur  
oculis, lingvis, manibus, & ut ita dicere liceat, sensu & cogitationibus,  
quid aliud subditis innuunt, nisi alios Principatu esse di-  
gniores? Qui verò consilia respuunt, humanitatis obliti,  
cum dedecore tandem intelligunt, humani à se quoque  
nihil esse alienum. Charidemus apud Curtium lib. 3. cap. 2  
ad supplicium ductus, sic Dario acclamat: *Expetet pœnas mei  
consilii spreto is ipse, (i. e. Alexander) contra quem tibi svasi.* De  
Carolo VIII. infra redibit mentio, quantum hunc ad lapi-  
dem sæpius impegerit. Singulare exemplum est Ludo-  
vici XI. Gallia Regis, qui Consiliariis ferè non utebatur, sed sibi ipsi  
erat pro Concilio. Verulam. vit. Henr. pag. 76. Nisi referre hanc  
diffidentiam velis inter arcana Tyrannidos, quam moli-  
ebatur. Certè de bonis Principibus optimè dicitur, quod  
de duobus Antoninis olim. Pius enim nihil constituit,  
nisi quod referret prius ad amicos. Capitolin. cap. 6. Marcus  
verò Philosophus, præcipuâ hâc utebatur sententia: *Æ-  
quius est, ut ego tot & talium amicorum consilium se-  
quar, quàm ut tot & tales amici meum unicè consilium  
sequantur.* Capitolin. cap. II.

LI. Quinetiam aliqua gloria opinio accedit, si Princeps  
in Consiliis suis sit constans. Sic enim Seneca de DEO, nos certo  
modò de Principe: *Necesse est ei eadem placere, cui nisi optima  
placere non possunt.* Et quid est inconstantia, quàm propria  
sive præcipitantia sive imprudentia accusatio? De Fri-  
derico Sapiente merito Fabricius. Orig. Sax. lib. 8. pag. 16.

Nihil



nihil cœcò impetu & absq̃ consilio deliberato statuit, anteq̃vã rem optime cognosceret: re autem perspectâ & penitus cognitâ de semel lata sententia, ne latum quidem digitum, aut transversum, quod dicitur, ungvem discessit. Septalius hac in parte laudat prudentiam Venetorum, quòd ne mitras quidem Senatorias, parùm commodas, mutare velint: ne consilii semel cœpti, etiam in re factis parva, pœnituisse videantur. *Rat. Stat. lib. 3. p. 183.*

LII. Ad constantiam quoque facit executio consiliorum. Hæc enim Jacobi Regis ad filium est doctrina, ut in consultando prudens esset & circumsp̃ctus; in decidendo firmus & constans; promptus & expeditus in exequendo. *Savedr. symb. 64. p. 545.* Et fortè non omninò excusaveris Maximilianum I. à falsa Verulamii censura, vit. *Henr. p. 140.* Ejus, inquit, moribus penitus insitum erat, ut negotia semper semiperfecta relinq̃veret, & reliqua Imaginatione tantum forti consummaret: tanquam Sagittarius malus, qui sagittas ad cusp̃dem usq̃ attrahere non solet.

LIII. Constantissimus deniq; est, qui, quoad fieri licet, in evitandis novitatibus prudentiam ostendit. Sic enim Meneses tit. 3. cap. 3. Vera prudentiæ norma patrios mores experientiâ benè probatos & tempore approbatos servare jubet & conservare. Mens novitatem amans, ita pergit, instabilis ferè est, & Reip. regimini tam periculosa, quàm ipsa tyrannis. Paribus enim ruinis utraq; Imperia distraxit. Videantur reliqua loc. cit. adde Septalium, *R. St. lib. 2. c. 21. p. 122.*

LIV. Caput verò & Summa universæ Existimationis est, ne Princeps temerè se permittat fortunæ casibusq; se immergat dubiis, qui pari passu ad ignominiam & ad gloriam contendunt. Sanè temeritas interdum eventu commendari solet. Sed ita prædices lucra aleatorum: qui victores discedunt, eadem operâ vinci poterant. Richardus Angliæ Rex unum se turbæ inferebat, felici cum successu. *Frossard. lib. 2. pag. 147.* Ast idem cùm faceret Jacobus III. Scotiæ Rex, miserè à Subditis confossus periit. *Verulam. pag. 122.* Idem hoc Alexander



M. tentavit feliciter. *Justin. lib. 12. cap. 11.* quod Galbæ Imperatori fuit exitiale. *Sveton. cap. 19.*

LIV. Quid dicemus? Quò progredimur amplius, eò magis apparet, in manu fortunæ positam esse existimationem. Ipsa etiam consilia in se perquam pulchra, non nisi ab eventu h. e. à fortuna vel laudem accipere vel vituperationem. Milites Carthaginenses amissò præliò patriâ exclusi testantur, non sibi virtutem, sed fortunam defuisse. *Justin. lib. 18. cap. 7.* Vice versa Timotheus Atheniensis in omni actione felicissimus, ipse fatetur, fortunam esse causam rerum benè gestarum, Timotheum verò nullius. Quò consiliò Pictores eum repræsentabant, dormientem, fortunam autem supra caput pendentem, quæ civitates quasi in rete quoddam conduceret. *Ælian. Var. Hist. lib. 13. cap. 43.*

LVI. Quamobrem hic optimus erit Politicus, nec deterior Princeps, qui in sua potestate habiturus est fortunam. Fortunam verò habebit obsequentem, à cuius partibus steterit Fortunæ Dominus. Sic enim ejus nomine cœlestis Sapientia exclamat, *Prov. VIII, 16. seqq.* Per me Principes imperant, & potentes judicant terram. **MECUM SUNT DIVITIÆ ET GLORIA.** Et hæc profectò causa est, cur Pietas ita veniat in consortium Prudentiæ Politicæ, ut his quasi alis ad securitatem & gloriam necessario provolandum sit. Non opus est Christianos allegare, vel è sacris literis hac in re informatos. Audiamus Ethnicos. Macrinus, à Senatu dictus **PIUS** ac **FELIX**, Felicis nomen recepit. Pii habere noluit. Sed inde lusit Poëta Græcus, cujus verba Latine sic refert *Capitolin. cap. 11.*

*Histrion jam senior, turpis, gravis, asper, iniquus,  
Impius & felix, sic simul esse cupit.  
Ut nolit pius esse, velit tamen esse beatus:  
Quod natura negat, nec recipit ratio.*

Nam



*Nam pius & felix poterat dici atq; videri,  
Cui Imperium infelix est, erit ille sibi.*

Antoninus verò Philosophus, monitus Cassium sibi parare infidias, respondet: *Si divinitus ipsi deberetur Imperium, non posse interfici; sin minus, sponte ruiturum.* Gallicanus in *Cass. cap. 2.* Quærenti aliquo, quid si Cassius vicisset? non sic, ait, *Deos coluimus, nec sic vivimus, ut ille nos vinceret, cap. 8.* Ad Uxorem verò scribit: *Dii me tuentur; Diis pietas mea cordi est.* Reliqua jam exposita sunt hanc in rem, in peculiari Dissertatione de *Fortuna Politica* non ita pridem habita.

LVII. Plura si vellemus addere, conscribenda foret universa Politica. Hæc enim Existimatio, quæ bonam de Statu seu de Rep. opinionem excitat, tum demum est completa, si leges Reip. fundamentales decenter observentur, nec aliqua Regalium pars turpiter & cū dedecore administratur. De quibus omnibus aliò locò dici poterit.

LVIII. Eluctati igitur sumus è generaliori Existimationis contemplatione. Reliquum nunc est, ut, quid de consiliis duorum Cardinalium statui debeat, breviter enunciemus. Julianum quod attinet, qui Carolum VIII. ad bellum Italicum inflammabat, habemus, quæ desiderari possunt, in Rege, in Consiliario, in ipso Consilio.

LIX. Regem temerè ad infestandam Italiam fuisse permotum, unò ore fatentur Scriptores. Sic enim Cominæus de *bell. Neap. lib. 1. init.* (*Barthius numerat Commentariorum librum VII.*) *Fuit ea res inter ipsius familiares diu multumq; disceptata. Prudentiores enim & rerum periti judicabant omnes, magnum in eo esse periculum, ipse autem unus probabat institutum, & cum eo Stephanus quidam Verius (Gvicciardinus Versiū dicit,) humili locò natus, & Brissonetus, ambo rei bellicæ imperitissimi.*

LX. Julianus verò consilii auctor, quòd ipse spem adipiscendi Pontificatûs amisisset, & Alexandrum VI. vel



usq; ad carceris molestias sensisset iniquum, non tam id videbatur agere, ut Reges extranei felicitas multum au-geretur, quàm potius ut turbata Italiâ, pateret pronior in vindictam via.

LXI. Ipsum consilium duplex erat. Primò, an Italia esset invadenda? Deinde, an expeditio semel suscepta rebus adhuc integris esset omittenda? De priori non est, quod dicamus. Extat apud Gvicciardinum Oratio Legati Mediolanensis *lib. 1. p. 26. seqq.* ubi Ludovicus Sfortia perfvadere nititur, nec sine magna infamia bellum inter-mitti, nec sine præsentissima utilitate geri posse. Quæ ta-men perfvasio vel ideò videbatur suspecta, quod Ludovi-cus Confiliarios regios pecuniâ corrumperet, ne ani-mum Regis à bello averterent. Alterum consilium hu-jus loci est. Ubi Cardinalis dicit, *inter triumphos & dedecus nul-lum dari medium.* Sed ostendi facilè potest, nec de vero ho-nore ibi verba fieri, nec deesse medium.

LXII. Verum honorem Caroli oculis obversatum, Gvicciardinus dubitare jubet *pag. 82.* *Erat in eo, sic scribit, quædam ad gloriam propensio, verum impetu magis, quàm consilio.* Diximus autem supra nihil honore dignum esse, quod à virtute & prudentia non dirigatur. Si enim vel maxime gloriosum esset ab incepto non desistere; magis tamen fuisset honorificum pericula imminencia desistendo evi-tare. An turpius erat intactâ Italiâ redire domum, quàm post illatas regioni clades, fugientis instar discedere; & Regnum sine virtute occupatum, cum vitio amittere?

LXIII. Quamobrem quæ superius *thes. IV. ex Savedra* retulimus, *Principem citius permittere posse ruinam statuum, quàm jacturam existimationis,* non nisi in casu extremæ necessitatis vera sunt. Ipse enim Savedra exemplò Venetorum rem illustrat, qui post impetum fœderis Cameracensis, noluerint



erint tamen despondere animum, vel utendo mediis illicitis, prodere ignaviam. In quo certè casu necessitas pro lege est. Et si corruat existimatio, corruit omnis simul restitutionis spes: cum ex adverso Subditi minus feliciter agentes, à Principe nondum ignavo & contempto, vitam & florem queant recipere. Proinde quod Cardinalis rectè monuisset in casu extremæ necessitatis, si adfuisset Galliæ ruina, qualis imminebat sub Carolo VII, quem, parùm aberat, quin expulissent Angli; id temerè jactabatur, cum salvus ipse Rex non rei suæ defensionem, sed alienæ occupationem meditaretur.

LXIV. Neq; in tali casu deest medium, quominus liceat neglectâ gloriâ fugere ignominiam. Quando enim tam ignavi sunt Politici, quin excogitent honestum redundi prætextum? Præsertim quia non aufertur penitus, quod differtur ad tempus. Certè si nullum datur medium inter triumphos & ignominiam, nunquam concludetur pax; quia notum est pacem alteri parti inutilem, minusq; gloriosam, pro conservando statu sæpius esse necessariam.

LXV. Pone etiam Consilium in se non fuisse malum. Nam certè eventus ita respondebat, ut regno Carolus potiretur. Quia tamen Rex tanto oneri par non erat, ut, qui desperabāt de occupatione, multò magis de amissione malè ominarentur; in eo peccabatur, quòd Juvenis ipse impelleretur ad impossibilia, h. e. ad ignominiosa. Sic Politicus non saltem videre debet, quid dicat, sed etiam cui dicat: nec quod in uno exemplo fuit gloriosum, in altero non potest esse inglorium.

LXVI. Ex adverso Richelii Consilium profundiori nititur bonitate. Rex Ludovicus aut ipse prudentiâ erat excultus, aut tamen aliorum susurris aures temere non aperi-



aperiebat. Cardinalis à quo tempore Ministriffimi vices, ( penè dixerim fasces ) suscepserat, nihil prius habebat, aut antiquius, quàm ut Regnum Galliaë redderetur florentissimum: fidemq; adeò apud Regem meruerat, nihil ab eo svaderi, nisi quòd Monarchiaë conduceret. Ipsum deniq; consilium sic erat comparatum, ut vel insignem gloriam, vel nullam igominiam reportaret. Quod enim Carolus V. in expeditione Africana, Philippus II. ejusdem filius in expeditione Anglicana, proferebant, se contra tempestatum injurias non eduxisse exercitum; id Gallis quoque paratum erat, si fortè transiri Alpes non potuissent.

LXVII. Est etiam quod prudentiores non immeritò conjiciunt, habuisse Richelium jam aliquos è Sabaudis, qui transitum, apertè prohibitum, pollicerentur faciliorem. Omnis enim difficultas enitendi in Italiam pendebat ab arce Susa, cujus situm describit Gramondus *lib. 18. p. 788.* Ast si verum est, *obruì saxis potuisse exercitum, si voluisset hostis:* sic enim ipse Rex postea judicavit; non secus ac Alexander M. de occupatis Ciliciaë faucibus apud *Curtium lib. 3. cap. 4.* Quis penitus abfuisse proditionem crediderit.

LXVIII. Sed manum de tabula. Precamur potius, velit Supremus Fortunæ & Gloriaë Politicæ arbiter Germaniam nostram porrò illustrare, nec concedere, ut, qui suam Existimationem nostrâ calamitate consummare conantur, honorificum experiantur eventum. Sit Imperator, verè Augustus, verè Pius, verè Felix; Sint Germaniaë Proceres, Exteris formidabiles, suis gloriosi: Ac imprimis AUGUSTUS Gymnasii nostri NUTRITIUS Augustam h. e. splendidam semper fortiatur Fortunam.

Corol-



## Corollaria.

I. Non ineptum Thuani *lib. 39. p. 721.* iudicium est de Virtutibus Pii V. Pontificis: *Cum in Principe laudari præcipue sciret, justitiam, magnitudinem animi, clementiam, liberalitatem & prudentiam, ita justitiam amplectebatur, ut exactâ juris observantiâ plerumq; injuriose peccaret: Ita verò à clementia abhorrebat, ut tamen feram & implacabilem naturam dissimularet, cum multa de clementia honorificè præfatus, postremò illam exactâ nocentium castigatione contineri diceret.* Libuit hæc annotare ad illustramentum theseos XXXVI. & XXXVII.

II. Laudabilis in Germanico erat animi magnitudo, apud Tacitum *Annal. lib. 1. cap. 43.* *Dii non sinant, inquit, ut Belgarum decus istud & claritudo sit, subvenisse Romano nomini.* Sed mirum est Christianos aliquas suppetias debere velle Turcis. Certè ridicula excusatio est, quam pro defensione Gallorum affert Gramondus *lib. 3. p. 208.* *Magnam Gallo & Ecclesiæ orthodoxæ ex hoc fœdere esse utilitatem: tolerari enim aliquos monachos in terra sancta, quam lustrare magna sit res.*

III. Ao 1621. Reformati in Gallia jurabant nolle se revelare secreta Comitiorum, inter se actorum: Catholici instabant hóc dilemmate: *In secretis aut contineri obsequium aut perduellionem: si obsequium, cur tacerent? si perduellionem, esse puniendos.* Gramond. *Hist. lib. 7. p. 370.* Certè cornutus hic syllogismus parùm ferire poterat Reformatos.

IV. Ludovicus Tubero *Comment. lib. 5. p. 105. seqq.* festivam proponit methodum expellendi Tyrannos. Demejanus quidam occupaverat potestatem civitatis Rhacusanæ; quem cum deicere non possent cives, cum Venetis actum est, ut sub specie Legationis Constantinopolin mittendæ præternavigarent, ipse tyrannus invitaretur ad spectanda munera Imperatori Græco à Legatis exhiben-

E

hiben-



hibenda. Sic miser in navi retentus; Civitas sine sanguine & cæde tyrannum amisit.

V. Politici interdum abstractiones formant Metaphysicis subtiliores, ut saltem legitimare queant actiones in concreto malas. Exemplum suppeditat Verulamius p. 108. Fervente enim bellô inter Gallos & minoris Britanniae incolas, Henricus VII. nunciabat Carolo VIII. se Britannis quidem mittere velle auxilia, ita tamen, ut servarentur Leges amicitiae & fœderum; se Britannis succurrere, nolle tamen bellum extendi ad Gallos.

VI. Pessima Flandrorum erat fraudulentia, qui Philippo Valesio Galliae Regi promiserant, se nunquam adversa arma laturos: quod ipsum si non servarent, dependerent vicies centena millia. Postea enim hortabantur Edvardum III. Angliae Regem, ut ipse insignia Galliae sibi usurparet, simul & titulum, quo facto liberos se posse fieri à juramento præstito. Froissardus Hist. l. 1. p. 23.

VII. Septalius *de Rat. Stat. lib. 1. cap. 8. p. 32.* asserit Imperatorem Turcicum in suo Imperio nullam tolerare Nobilitatem. Contrarius huic videtur Limnæus, qui *Jur. Publ. lib. 6. cap. 1. num. 57.* recitat, à Selimo II. Gentilem Bellinum, ob excellentem in arte pingendi peritiam, in equestrem ordinem fuisse cooptatum. Sed dubium solvere potest Busbequius, *epist. 1. pag. 29. Turcæ*, inquit, *neminem, ne suorum quidem, nisi ex se pendunt.* Patet igitur tolerare eum Nobiles, sed non Nobilitatem, h. e. generis propagationem. Forma enim Domini requirit, ut sola familia imperans perpetuâ gaudeat nobilitate.



Non



✿ \* \* \* ✿

**N**on fatis est Regi dubios incurrere sensus,  
Ut gravis existat, non videatur, ais.  
Turba, quid eveniat, vultu, sed & auribus haurit:  
Quod, nisi succedat, ridet iniqua decus.  
Somius es, quid ais? Pronis velut auribus adstas,  
Et tibi, quid res sit, non quid imago, putas.

optimæ spei Somio

Feliciter! acclamo

**Johannes Schieferdecker / Past.**  
Superint. & SS. Theol. Prof.

---

Ad

Celeberrimum **KIRSTENIUM.**

**R**espice, qui duplici medicinâ dirigis Albim,  
Membraq; curando, corda docendo levas:  
Surculus hic Tuus est, quem candida Petra recepit,  
Nec minus hæc Tua sunt, florida si quæ legis.  
Crescit & in pulchras tentat prorumpere frondes,  
Sed tuus in medio cortice succus adest.  
Sic vegetat ramos, flores sic floribus addit,  
Sic quoq; maturas fructibus addet opes.  
Interea si quid nostris accessit in arvis,  
Salaq; fecundas spargere gestit aquas:  
Ipse Tuæ videor dextræ conjungere dextram,  
Dum commune suum pignus uterq; vocat.  
Ergò Tuum liceat voto properare favorem,  
Si mihi non noto causa benigna favet.  
Dilige Weisiadem, niveam vel dilige Petram,  
Omina quæ placeant, candor utrinq; dabit.  
Officiis fateor vires fortuna negavit,  
Sed licet in laudes solvere labra tuas.

E 2

His



*His mihi præsentes consumat Sommius horas,  
Actandem in Patriam testis amicus eat.  
Det DEus, ut quondam iuret hoc sperâsse Parentes,  
Et spectare iuret, quos vocat ipse Patres.  
Quod reliquum est, nostram noli contemnere chartam,  
Quæ laudata Tuis laudibus esse cupit.*

Acclamatio

Christiani Weifii,  
Præsidis.

---

Errata extantiora, quæ festinantem Correctoris oculum  
fefellerunt, Lector Benevolus ita restituat.

- thes. 7. lin. ult. pro illustrationem l. illustrationum.
- thes. 16. lin. 8. pro muneris l. munieris.
- thes. 46. init. pro honori l. honoris.
- thes. 47. lin. penult. pro intelligebant, l. intelligi debeant.
- thes. 49. lin. 12. pro perdere l. pendere.
- thes. 6. lin. antepenult. pro Reges l. Regis.

